



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Calliopivs Mart. 7. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

exercetur, nequaquam ab iis vir sanctus eximius fuit, cæli nihilominus deliciis sustentatus. Grauius decumbenti S. Genovesa virgo solamen & morbo medicinam attulit. Morituro denique Reparator noster, Sanctis comitatus, conspicuum se fecit, scilicet ne mortis larvâ terreretur. Cælum Anno M. CC. II. subito paratum solum ejus discipulus vidit, coronamque rarum opus & Angelorum manibus elaboratû, sed gemmas GUILIELMVS suppeditavit, virtutes suas, quarum nos nomina fortasse scimus, & subinde de pretio disputamus, sed subterfugimus patientiæ scalpellum, sine quo nulla gemma cælatur. *Ex Surio.*

*Christus sit confabulator tuus: Christus sit con-  
tubernalis tuus & convivâ; imò Christus ipse sit  
tua delicia, ipse quotidiane refectiõnis epulum, ipse  
tibi sit intima dulcedinis alimentum. S. Ret. Dam.  
l. 7. Ep. 6.*

S. CALLIOPIVS MART. 7. Aprilis.

**C**ALLIOPIVS eximiâ sanctitate juvenis ad agenda Liberalia ab impiis invitatus, liberè abnuït, nefas esse Christianis dictitans, insanire cum ratione. Præfectus urbis Maximus extrema primùm comminatus, cum nihil objectis terroribus profecisset, versus ad blanditias, velut in dotem invitamentumq; sceleris filiaë matrimonium promisit. Eam conditionem generosiùs etiam respicientem plumbatis contundi nervisque crudis foedè laceratum, in rotam jubet innecti, curvaturâ cultris obarmatâ, rogoq; juxta validè flammante. Vtriusque tamen metum discussit Angelus, qui & ignem oppressit, & rotæ volubilitatem conversiõnesque stitit. Theoclia mater, audito filii casu, in

H 5

carce-

carcerem ad filium penetrat, vulnera obligat, gratifque vocibus prædicat, quod Martyrē peperisset. Noctu inter precandum cælesti voce confirmatur. Damnato denique ad crucem CALLIOPIO, mater pretio lictores obstrinxit, ut situ inverso statuerent crucem. Mira feminae virtus in comparatione Machabæe vocanda. Ad supplicium velut triumphantem prosequitur, in cruce tanquam solio filium spectatura. Pendentem cælestis nuncius ad æternitatis gloriam evocavit mater amplexu stringens exanimum, pignus præmissum ad Superos filium è vestigio est insecuta. *Ex Metaphr. & Baron. in Not.*

*Perpende & invicem confer tribulationem & gloriam; momentaneum & æternum; leve & pondus; gaude & exulta, quia quod tribulationis sustinens, momentaneum est, quod gloria præstolaris æternum est; leve est, quod toleras, pondus, quod expectas. S. Petr. Dam. l. 8. ep. 6.*

## S. AIBERTVS C. 7. Aprilis.

**A**IBERTVS stans à puero precationibus somnum distinguebat. Terram, originis memor, frequenter osculabatur: finemque respiciens, modico alimento moriturus utebatur. Cum vitam S. Theobaldi Poëtici vincit numeris à vano homine demisisset altius in pectus, in loca primum sola recessit: Aquilæ deinde specie cucullam sibi offerentis excitatus, ad Monasticen se vocari intellexit; demum in solitudinem rediit finemque arctioris vitæ initiis æquavit. Ibi cum, aditu aquarum eluvionibus obfesso, vitæ necessarius arceretur, Deipara virginum choro cincta buccanam